

bellisque variis clarissimos, omnes unanimi suffragio testantur scriptores. Florus Lib IV. Cap. ultimo de Druso idemtidem agens, qui Octaviani Augusti imperio auspiciisque Germanicas gentes perdomuit, ita de iis scribit: *Inde VALIDISSIMAS gentes, Cheruscos, SUEVOS QUE & Sicambros pariter adgressus est.* Ovidius, aut potius Peto Albinovanus in *ad Liviam consolatione* super eodem Druso:

*Ille genus SUEVOS acre, indomitosque Sicambros
Contudit.*

Atque ipse noster Cæsar Comment. belli Gallici Lib. IV. Cap. I. *Gentem vocat maximam & bellicosissimam Germanorum omnium;* quin immo fatentur eod. lib. Cap. II. *Usipetes, sese unis Suevis concedere, quibus ne Dii quidem immortales pares esse possint.* Hæc adeo certa sunt, ut nulla probatione ulteriori opus habere videantur. Sed in eo nunc omnis disquisitionis verlatur summa & argumentum: quales heic loci populos Cæsar per *Suevos* intelligat. Adeo enim varii fuere prolixique olim Suevi, ut, si Straboni, Tacito aliisque credimus, majorem Germaniæ partem tenuerint ab Albi ad Rhenum usque extensi; atque eas sedes, quas hodie *Polonorum* quidam, *Pomerani, Saxones, Misnenses, Thuringi, Catti* & alii habent. Qua de re prolixius videri possunt doctissimus Cluverius *Germ. Antiq.* lib. III. c. XXIV, & Althamerus in *ad Taciti Germ. notis.*

V.

Ex descriptione, quam de hac gente passim interserit Cæsar, manifeste liquere putem, non eum ad *Suevos*, qui inter *Salam Albimque*, & inter *Vistulam, Danubiumque* ac mare septentrionale sedes habebant
suas